

vere rem pro pecunia; & idem probarunt Ancharanus *quest. famul. quest. 64. per rotam, part. 2.* Joannes Andreas de instrumentorum editione, *2. finali, verbo, fecerit, Guido Papæ de inventario, num. 2.* Porcelinus in eodem tractatu, *quest. 7. num. 3.* Alvarus Valafcus consultatione *52. n. 38.* Simon de Præcis de interpretatione ultimorum voluntatum, *lib. 5. dubitatione ultima, n. 24. fol. 582.* Grassus *l. 2. §. inventarium, quest. 20. in principio,* qui Bartolum sequuntur. Joannes Franciscus de Ponte in *consil. 37. n. 8.* dicens, quod hæres in proposito casu, potest cogi ad vendendum, dummodo non teneatur de evictione promittere, & undique semper indemnus fervetur. Azevedius in *l. finali, titulo 21. num. 132. lib. 4. nova collectionis Regie, & in l. 4. titulo. 6. num. 7. & 8. l. quinto,* qui tamen nec absolute, nec distinctè quidem quaestionem superiorem tractavit: fortassis hoc idè, quod Burfatum, Præcis, Riminaldum, Surdum, & alios non prelegisset, quos statim referam. Deinde, & eandem sententiam in effectu sequitur novissimè, nec etiam refert prædictos And. Fachineus *controversiarum Juris, l. 4. cap. 39. in fine, fol. 438.* ubi postquam retulit opiniones duas dumtaxat, nec tertiæ mentionem fecit, dicit postmodum sententiam suam esse, quod si pecunia reperitur in hereditate sufficiens ad satisfaciendū creditoribus, & legatariis, tunc dubiū non esse quin hæres teneatur & debeat ea satisfacere. Cæterū, si non adsit pecunia sufficiens, hanc esse Justiniani sententiam, ut ipse putat, ut ex suis propriis pecuniis hæres cogi non possit ad solvendum, sed ex ipsis rebus defuncti, vel earum venditione: ex ipsis rebus, hoc est, ut idemmet Author interpretatur, si pecunia sit relicta, seu debeatur, illam creditoribus solvendo: si non sit pecunia, sed alia res, illas trahendo in solutum, si creditores velint accipere; neque enim aliud pro alio, invito creditore solvi potest. Cæterū, si accipere recusaverint, vendi debet ab hærede, & ex pretio creditoribus satisfieri vendi, inquam, debet ex eodem Authore, eo modo, quo poterit iuste, & sine læsione, ita ut evictionis periculo non hæredis bona, sed hereditaria subiaceant, quia illum ab omni damno præservat inventarium. Quod si non inveniatur emptor, res addici potestunt ipsis creditoribus, argumento *l. a Divo Pio, §. si pignora, ff. de re judicata.* Et hæcenus prædictus Author, qui, ut vides, nihil novum adducit, sed in communem sententiam incidit, Jafonifq; & aliorum placitis adhæret: Quibus etiā accessit Burfatus in *cons. 9. ex num. 29.* usque ad *n. 34. lib. 1.* ubi dicit, quod non est in mera facultate hæredis cum beneficio inventarii tradere bona vendenda, seu vendere, & solvere si velit; sin minus dare in solutum, sed quod ad id cogendus est, si sibi non noceat vendere, & solvere, vel vendenda tradere: quod in effectu est idem cum communi resolutione *suprà* tradita. Cui verè repugnat text. in *l. si pecunia, 12. ff. de legat. 2.* ubi expressè probatur contrarium in hæc verba: *Si pecunia legata in bonis legantis non sit, solvendo tamen hæreditas sit; hæres pecuniam legatam dare compellitur, sive ex suo, sive ex venditione rerum hereditariarum, sive unde voluerit.* Quod si dixeris de jure Digestorum, sive Jureconsultorum tempore procedere illum text. prout Bart. Bald. Alberic. & Cuman. notarunt, & cum eis transeunt Authores omnes superius relati; Correctum tamen esse ex decisione text. in *d. l. ultim. §. etsi præfatam, in versic. sed si legatarii, C. de jure deliberandi,* ut ipsimet Doctores advertunt: Adhuc obstabit, legum correctionem non expressam inducendam non esse in casu dubio: Item illum text. non procedere generaliter, ut inferius probabo, sed eo dumtaxat casu, quo hæreditas solvendo non est: Deinde voluntatem testatoris servandam, quæ credendum est motum Jureconsultum in eo textu; nec ita facile contra præsumptam testatoris intentionem tentari posse statuisse contrarium Justinianum in *dicto versic. sed est legatarii,* hæredemque iuste in hoc gravari, cum in aliis universæ hereditatis commoda,

& emolumenta percipiat. Denique, inventarii confessionem operari non debere, ut aliud pro alio, invito creditore, aut legatario; & verbis ipsis testamenti repugnantibus solvi possit, quoniam inventarium non operatur, quin hæres voluntatem testatoris servare teneatur. Baldus in *l. debitori, n. 4. in versic. breviter respondeo, C. de pactis,* Joannes Vincent. Honded. in *conf. 58. num. 2. lib. 1.* Teneatur enim hæres voluntatem defuncti adimplere, nec ei contravenire potest, licet inventarium confecerit, quando ex hereditate aliquid perceperit. Decius in *l. ex qua persona, & ibi Cagnolus ff. de regulis juris.* Hieronymus Gabriel in *conf. 125. ex num. 12. lib. 1.* Joannes Vincent. Honded. *d. conf. 58. num. 3.*

Unde secunda succedit opinio, hæredem in proposta specie non cogi vendere ad solvendum legatariis, nec etiam aliunde pecuniam quærere, sed teneri dumtaxat bona hereditaria in solutum dare juxta quantitatem legati taxata, idque indistinctè, sive damnum patiat, sive non; & etiam si inveniatur emptores, vel non inveniatur. Quod cum aliis non dubitavit asserere Monticulus in *tractatu de inventario, nono cap. principali, num. 8. & n. 27.* & apertè videtur tenere Azevedius in *l. ultim. tit. 21. num. 132. lib. 4. nova collectionis Regie, & in l. 40. tit. 6. num. 8. l. 5.* Ubi indistinctè dicit, hæredem satisfacere solvendo legata in corporibus hereditariis, sive inveniatur emptores, sive non inveniatur: nec distinguit, an patiat damnum, vel non, propter obligationem de evictione, in quo, ut vides, hæc secunda opinio differt à prima *relata supra*: & ante alios, Angeli fuit originaliter, prout referunt, & improbant eum Imola in *l. 1. §. hæc stipulatio, col. 4. in versiculo item 2. adde, ff. si cui plus quam per legem falcidiam.* Alexand. in *d. §. etsi præfatam.* Petrus Surd. *decif. 318. n. 1.* & expressim sequitur Joann. Oinotomi in *§. extraneis, Institut. de hered. qualit. & differ. num. 29. in fine, fol. 234.*

Sed verè nullo pacto sustineri potest, tum ex rationibus contra præcedentem opinionem adductis *suprà*, quæ contra hanc procedunt apertius: tum ex text. in *d. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* ex text. etiam in *d. l. ultim. C. de jure deliberandi,* quæ in omnibus casibus ibidem propositis, dumtaxat intendit hæredi prospicere, ne damnum patiat, nec ita indistinctè, ac in damnum legatariorum favet eidem. Quod superioris opinionis Authores probarunt libenter, ut ex omnibus relatis constat expressim. Deniq; placere non potest ex his, quæ in proposito consideravit Burfatus in *cons. 9. num. 30. & 31. lib. 1.* qui tamen de hac secunda opinione mentionem non facit, nec etiam Riminaldum, quem statim referam, nullus denique eorum quos recensui *suprà*, excepto Surdo *d. decif. 318.* qui cum judicio improbat eam, & in effectu, licet pro una & altera parte disputet, remanet cum opinione prima, quam *suprà* adduxi, & improbavi, nec hanc secundam amplectitur.

Tertia ergo succedit opinio, quæ verior quidem mihi videtur, & omnino amplectenda; hæredem, inquam, cum beneficio legis, & inventarii teneri satisfacere legatariis, & creditoribus pecuniarum in pecunia, quando hæreditas est solvendo, etiam si quantitas pecuniæ simpliciter legata fuerit, nec in hereditate inveniatur pecunia, hoc est, etiam si adjectum non sit, quod legatum solvatur in pecuniis, prout in casu superiori, sed summa aliqua, quantitasve pecuniæ simpliciter sit relicta. Quam sententiam sic distinguentes tenuerunt Cinus, & Jacobus de Arena in *dict. l. ultima, §. si præfatam, C. de jure deliberandi,* quos refert, & sequitur Rolandus à Valle de *confectione inventarii, parte 4. utilitate 9. inventarii, §. quæro an sit dare,* nec non Phanucius de *invent. quinta parte, n. 151. & cap. sequent. num. 2.* & cum illis constanter defendit Hippolit. Riminald. in *conf. 621. ex num. 1.* usque ad *num. 10. lib. 6.* & ultra eum tenuit etiam Bald. in *d. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* prout eum refert Simon de Præcis

de interpretatione ultim. volunt. lib. 5. dubitatione 1. n. 148. fol. 572. quamvis postea mutaverit sententiam in *d. §. præfatam,* ut retulimus *suprà, num. 19.* prout etiam mutavit ipse Præcis eodem lib. 5. dubitatione ultim. num. 24. fol. 582. ut retuli *suprà, d. num. 19.* cum tamen *d. dubitatione 1. d. num. 148.* hanc tertiam opinionem tenuisset, quam etiam tenet Ludovicus Molina è Societate Jesu Religiosus de *justitia & jure, tractatu 2. disputation. 216. in versic. Quartum commodum, fol. 1314.* Surdus etiam *decif. 30. num. 14.* ubi hanc partem firmiter tenet, licet primæ opinioni relatæ *suprà, d. n. 19.* accesserit, *d. decif. 318.* sed malè quidem ex *dictis supra,* & *dicendis infra,* qui tamen *d. decif. 30. num. 14.* cum judicio constituit, quod ubi hæreditas est opulenta, nihil interest pecuniam in hereditate non esse, cum illa rebus hereditariis distractis, facile comparari possit: & *num. 15.* merito improbat Marc. Brut. in *conf. 3. num. 7. vers. intelligo etiam,* ubi Author ille dixit, quod tunc demum opulenta dicitur hæreditas, quando in ea reperitur pecunia; id quod convincitur apertè ex notatis *suprà,* & nonnullis, quæ notabuntur statim: & quoniam certum est, opulentas quandoque hereditates esse, & opulentas patrimonia, absque eo quod pecunia in hereditate sit.

Differt autem tertia hæc sententia, & opinio à priori & communi *suprà* relata; est enim dumtaxat contenta cum hoc, quod hæreditas solvendo sit ut hæres teneatur in pecunia solvere, quamvis in hereditate pecunia non sit, nec requirit, quod absque damno hæredis, aut absque promissione de evictione solutio fieri possit in pecunia, nec etiam requirit, quod hæres reperiat, vel non reperiat rerum hereditariarum emptores, vel quod justum pretium offeratur pro illis, vel non offeratur.

Differt etiam multò magis à secunda opinione ut de se patet apertè estque illi omnino contraria, & quidem verior ut dicebam *suprà* atque ex seqq. evidentius constabit.

Primo ex his, quæ contra Simonem de Præcis consideravi in *initio hujus cap. ex num. 5.* usque ad *num. 17.* quæ in hoc casu æquè militat, sicut in illo: propterea quod clarè constat de voluntate testatoris, qui legans quantitatem pecuniæ, satis apertè ostendit, ejus voluntatis esse, ut velit in pecunia legatum præstiti, alias corpora hereditaria legasset, aut si aliter voluisset, id expressisset. Quodcirca voluntatem testatoris amplexus, rectè respondet Paulus Jureconsultus in *d. l. si pecunia, 12. ff. de legat. 2.* hæredem teneri solvere legatario pecuniæ in pecunia, & non in corporibus hereditariis, idque etiam si inventarium confecerit, ut Baldus *ibid.* secutus Jacob. de Aren. notavit.

Nec obstat commune Doctorum objectum, videlicet quod text. in *d. l. si pecunia,* corrigatur hodie per text. in *d. l. ult. etsi legatarii, C. de jure deliberandi:* quod Albericus, Bartol. Cuman. & alii communiter crediderunt ibi. Nam responderetur, quod ille text., loquitur, quando hæreditas non erat solvendo; id quod ex verbis ejusdem constat apertè. Primo, quia dicit quod si hæredes fecerint inventarium, hæreditatem sine periculo habeant: ergo hæreditas non erat solvendo, quia si fuisset solvendo, non fuisset periculum, etiam sine inventario. Secundo, nam subdit, ut hæredes in tantum creditoribus hereditariis teneantur, in quantum rerum substantiæ devolutæ ad eos valeant; quæ verba præsupponunt, quod creditores erant majoris summx, quam essent vires hereditatis, plus tamen habere non possunt. Tertio probatur ex illis verbis: *Et eis satisfaciunt, qui primi veniant creditores, &c.* Ex quibus manifestè deprehenditur, quod hæreditas non erat solvendo, inducendo, atque intelligendo verba illa, prout subtiliter, & cum judicio inducit Hippolit. Riminald. in *conf. 621. num. 3. & 4. lib. 6.* ubi dicit, quod dictio

illa *sed est legatarii,* appositæ in versiculo, sed est legatarii, ponit diverfitatem in facto, non autem in jure, sed potius

identitatem. Et aliis rationibus confirmat prædictum intellectum, ut scilicet text. in *d. versiculo, sed est legatarii,* loquatur, quando hæreditas non erat solvendo; nec per eum corrigatur text. in *d. l. si pecuniam:* nam cum veniat ad correctionem juris antiqui, quo si hæreditas erat solvendo, tenebatur hæres legatariis vel creditoribus pecuniarum in pecuniis solvere, ex text. in *d. si pecunia,* strictè debet intelligi; ut minus corrigat illam legem: quod etiam ut certum supponit Molina de *justitia & jure, tractatu secundo, disputation. 216. in versiculo, Quartum commodum, fol. 1314.* & Rolandus de *confectione inventarii, 9. utilitate in versiculo, quæro an sit dare, fol. 121. & 122.*

Secundo & principaliter in eandem sententiam moveor ex his, quæ contra opinionem primam relata *suprà num. 19.* fortiter urgere dicebam *ibi, num. 21. 22. & 23.* Item ex eo, quod damnum promissionis, aut obligationis de evictione, ad quod principaliter attendunt Doctores, in consideratione haberi non debet: si quidem eo casu, quo hæreditas solvendo fuerit (quo dicimus tertiam hanc opinionem procedere) nullum damnum considerari debet, cum in hereditate supersint alia bona, ex quibus hæres potest idemnis servari, ac emptori satisfacere, si res ab eo evincatur: Nec mirum sit, vel iniquum, in hoc pati damnum hæredem, qui in aliis commodum sentit, ac universæ hereditatis emolumenta percipit.

Tertio denique, & ultimo, nam inventarium non ab aliam causam introductum à lege dicitur quam ut tollatur occasio committendæ fraudis ab hærede, ne scilicet valet occultare bona hereditatis, *l. ult. §. subscript. & §. licentia, C. de jure deliberandi, sancimus, & §. si vero absint, in Authent. de hæreditibus, & Falcidia.* Item ne hæres teneatur creditoribus ultra vires hereditatis ex propriis bonis, ex eisdem juribus, & cum aliis; qui de inventario peculiare tractatus eviderunt, sic advertunt Alvarus Valafcus *consultat. 52. ex num. 35.* Jacobus Mandellus de Alba in *conf. 253. num. 8.* Octav. Cacheran. *decif. 147. num. 22.* Mascardus de *probat. volum. 2. conclus. 851. num. 9.* Menochius in *conf. 272. n. 53. & 85. lib. 3.* Grassus *lib. 2. §. inventarium, quest. 3.* non autem injuriam, aut damnum creditorum, ut aliud pro alio solvi possit, ut cum Ancharano, & aliis, adnotavit Burfatus in *cons. 9. num. 30. lib. 1.* Rolandus de *confectione inventarii, dicta utilitate 9. versiculo, quæro an sit dare, num. 2. fol. 122.* Unde si hæreditas solvendo sit, inventarii confectio quoad prædictum effectum nihil operari debet ex *dictis* adhuc, ex quibus ad nonnulla inferri potest consequenter, quæ hæcenus ab alio scripta non erant, nec forsitan excogitata.

Et primo insertur, tertiam hanc opinionem, quam defendimus, omnino tenendam esse, & in praxi servandam, utpote in *dict. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* probatam, & in *d. §. etsi præfatam,* non correctam. Nam, ut diximus textus ille dumtaxat procedit, quando hæreditas solvendo non est; quo casu distinguitur, an hæres vendendo, damnum patiat, necne, id est, an sine onere evictionis vendere possit, necne: nam ubi hæreditas est solvendo, hæres indistinctè tenetur legatariis satisfacere in pecunia, ut expressim distinguit, & optime intelligit Rolandus de *confectione inventarii, dicta utilit. 9. vers. quæro an sit dare casum, fol. 121.* & sequitur Riminald. dicens sic intelligendas Doctorum traditiones *d. conf. 621. num. 3. lib. 6. ii,* & alii plures Authores superius relati, expressim, & vere quidem præsentunt, hæreditatem non ideo dici solvendo non esse, quod in ea nulla pecunia sit, si modo aliis bonis, & facultatibus solvendo fuerit; illis enim distractis, facile pecunia comparari potest, atque hæreditas solvendo esse dicitur, sicut etiam opulenta hereditas dici, & esse potest, absque pecunia, ut eleganter advertit Petrus Surdus *decif. 30. num. 14.* quem retuli *suprà num. 27. ad finem.*

38 Secundo infertur, in proposito casu nihil interesse, an hæres inveniat emptores, vel non inveniat; nam si hæreditas solvendo fuerit, in pecunia debet legatariis satisfacere, quamvis nullum inveniat, qui res hæreditarias comparare voluerit: idque ex mente omnium Authorum, qui opinionem, quam defendo, amplectuntur, licet in terminis nullus hæctenus sic animadvertat; ex textu etiam in *d. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* ubi sic indistinctè probatur, nec prædictus casus distinguitur, dumtaxat consideratur, an hæreditas solvendo sit, necne, & in *dict. l. ultima, §. etsi præfatam, C. de jure deliberandi*, nullum verbum scribitur, quo hujusce rei correctio induci possit.

39 Tertio refertur, eodem casu retento, nihil etiam interesse, quod hæres inveniat emptores, qui tamen justum pretium non offerant: nam cum in ejus voluntate positum sit non vendere, & tantum teneatur legatariis pecuniarum, in pecunia dare, aut solvere legatum, nec minori pretio vendere adstringatur, res hæreditarias sibi metipsum, vel alio tempore vendendas servare potest, & de suo solvere, vel aliunde pecuniam quaerere, juxta rationem *dict. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* ibi: *Sive unde voluerit.*

40 Inde & quarto loco infertur, nihil interesse, quod hæres vendens aliquam rem pro satisfaciendis legatariis ita demum emptores inveniat, si ipsi de suo evictionem promittat, non alias, nec hoc damnum esse considerabile, quicquid aliter declarat Communis; propterea quod hæres in pecunia solvere debet, quærat ipse pecuniam unde voluerit, juxta rationem *dict. l. si pecunia*, nec vendere adstringitur, ut superius dixi si tamen ut solvat, vendere velit, quid interest, quod evictionis promissio ab eo petatur, cum in hæreditate super sint alia bona, ex quibus ipse idemnis servari potest, ac emptori satisfacere, si res ab eo evincatur, ut optime advertit Ludovic. Molina è Societate JESU Religiosus de *justitia & jure tract. 2. disp. 216. in versis. Quartum commodum*, f. 1315. & æquum sit voluntatem testatoris adimplere in hoc, vel damnum pati in uno, qui in aliis commodum sentit: ut sæpe dixi, unde etsi nihil omnino superesset, attamen vel creditores omnes, vel legatarii, vel aliqui eorum onus in se suscipere satisfaciendi emptori, si res evinceretur, aut emptor ipse contentus esset, ut ad creditores, & legatarios recurreret loco hæredis pro evictione, quatenus ipsi refundere tenerentur, quod in eo eventu evinceretur, eo quod plus accepissent, quam de bonis defuncti accipere debebant, sed cogere non possent creditores, aut legatarios, ut aliud pro alio acciperent, ut rectè in hac materia annotavit solus Molina loco relato *supra*.

41 Quinto infertur ad ea, quæ Bartolus *num. 3. Fulgof. num. 2.* & alii Scribentes communiter tradiderunt in *dict. §. etsi præfatam, Burlatus in conf. 9. num. 33. lib. 1.* quod hæres, ut cogatur vendere bona hæreditaria pro satisfaciendis legatariis, vel vendenda tradere, tria concurrere debent. Primo, ut constet bona fuisse in hæreditate & dominio defuncti. Secundo, quod vendantur justo pretio. Tertio, quod nec hæres de suo pro evictione promittat.

Tunc primum Requisitum procedere possent quando legatarius cogere vellet hæredem vendere bona, vel vendenda tradere, idque præcisè peteret, eo namque casu teneretur probare, ea bona fuisse in hæreditate, & dominio defuncti, ut Communis affirmat: secus tamen, si peteret pecuniæ quantitatem sibi dari, quam jure petit, ex text. in *dict. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* & his, quæ *num. præced.* adnotavi; tunc enim nulla probatione adstringitur, nec communis resolutio procedit.

Secundum vero Requisitum similiter procederet tantum, quando vellet legatarius adstringere hæredem ad vendendum, ut sibi solvat, vel vendenda bona tradi per hæredem; tunc enim, quod bona vendantur, aut vendi possint justo pretio, necesse erit, si legatarius le-

gatum dumtaxat, vel quantitatem pecuniæ sibi relictam, simpliciter petierit, quia tunc, ut dixi, oblatum non debet legatario, quod justum pretium non inveniat, cum possit hæres non vendere, vel justum pretium expectare, & aliunde pecuniam solvendam quaerere, juxta text. in *dict. l. si pecunia*, vel ab initio sibi metipsum consulere, inspiciendo, an utile sibi sit, necne hæreditatem adire, cum per aditionem etiam inventario solemniter confecto, & nulla pecunia in hæreditate relicta, in pecuniis debeat legatariis pecuniarum solvere, si modo, ut dictum est, hæreditas solvendo fuerit.

Tertium denique Requisitum, quod nec hæres de suo pro evictione promittat, subsistere non potest, & manifestè convincitur ex his, quæ superius *illat. 4.* adnotavit, item ex his quæ antea tradideram *num. præcedentibus*.

Sexto infertur, ex dictis adhuc, non obscure deduci, hæredem etiam cum beneficio legis, & inventarii, non posse legatariis invitis, cum hæreditas solvendo est, & legatum quantitatis pecuniæ relinquatur, tot nomina debitorum hæreditariorum assignare, sic ut hæres ipse non teneatur ea exigere, sed assignando illa legatariis, liberetur: idque per text. apertum in *dict. l. si pecunia, ff. de legat. 2.* ibi: *Hæres pecuniam legatam dare compellitur.* Per quem præcisè ita observandum est, quicquid Jason *n. 1. in dict. l. ult. §. etsi præfatam, C. de jure deliberandi*, in creditoribus contra, sed malè quidem statuerit, & sequutus eum, idem etiam malè probaverit Rolandus de *confessione inventarii, utilis. 9. in vers. hæres confecto inventario, fol. 122.* qui decipiuntur per text. in *dict. §. etsi præfatam, in vers. sed si legatarii*, quatenus dicit: *Ex ipsis rebus.* Quatuor appellatione continentur & nomina debitorum. Sed vere text. ille id non probat, nec prædicta inductio satisfacit; nam cum eo casu procedat, quo hæreditas solvendo non fuerit, nec corrigat text. in *dict. l. si pecunia*, quotiescumque hæreditas solvendo fuerit, manifestum est, prædictum Assumptum verum non esse, & verbis *d. l. si pecunia*, contrarium. Item attendendum non esse ne hæres litibus vexetur, & expensis, quod minus æquè in hoc casu attendendum putat Rolandus loco relato *supra*, cum æquus sit, & juris rationi magis consentaneum, creditores litibus & expensis non vexari, qui defuncti fidem sequuti crediderunt legatarios etiam legatum consequi, prout consequi, defunctus expressit, nec in hoc molestari, hæredes vero nomina exigere, litiumque, & expensarum incommoda pati, qui universæ hæreditatis emolumenta, & commoda sentiunt.

Septimo & ultimo infertur, superiora omnia, quæ hucusque dicta sunt, æqualiter, aut majori ratione procedere in dotibus promissis, & debitis; & consequenter hæredes cum beneficio legis, & inventarii, si hæreditas solvendo fuerit, etiam si pecunia in hæreditate non sit, non posse mulieri dotes suas repetenti, in solutū dare tot bona hæreditaria, sed pecunias debitas, in pecunia teneri præcisè solvere; quod cum in aliis creditoribus receptum sit, & probatum *num. præced.* majori comprobatione non indiget sed verum esse, & omnino tenendum, concludenter apparet ex dictis adhuc: nec vera est traditio Alciati in *conf. 193. num. 3.* quem cum Phanucio sequutus est Surdus *decif. 318. num. 4.* dicentis, dotem in proposita specie non reperiri privilegiatam, & consequenter regulari debere jus ejus, juxta regulas juris communis, & aliorum creditorum jura. Verumenimvero, cum in aliis creditoribus etiam non privilegiatis contrarium à me observatum fuerit *supra*, nec vera sit prima, nec etiam secunda Doctorum opinio, quas *supra* improbavi, & quibus decepti Alciat. Phanuc. & Surdus, sic in dote statuerunt: constat aperte, nec illusionem, aut consequentiam stare, & contrarium in dote majori & fortiori ratione observandum, utpote, cum illa adeo privilegiata sit in jure ut quando in aliis creditoribus sic statutum fuisset à nonnullis, non ita de facili

idem

idem statuendum esset in dote. Et hæctenus de his, quæ sunt notanda, quia nova quidem, nec alibi sic declarata.

45 Tertio & principaliter constituendum est, aliquando, & è contrariò casum esse, in quo hæres præcisè tenebitur bona hæreditaria in solutum dare legatariis, nec solvendo pecunias liberabitur idque eveniet, cum testator legaverit Titio, aut Seio certam pecuniæ quantitatem de bonis & substantia ipsius testatoris, vel de bonis suis; tunc enim invito legatario non potest fieri solutio legati in pecunia numerata, sed fieri debet in bonis hæreditariis ad electionem legatarii, arbitrio tamen boni viri secundum communem æstimationem, quod cum Ruino, Angelo, & Craveta, resolvit, & rectè fundat atque Cornei consultationem in contrarium declarat Simon de Præcis *de interpretat. ult. volum. lib. 5. dubit. ult. num. 19. §. 4. seqq. fol. 582.* qui hac de re videndus erit, cum occasio se offeret. Addiderim ego dumtaxat unum, videlicet ex dictis per eundem Simonem, facile diu dubitationem Azevedii in *l. 4. tit. 6. num. 7. §. 8. lib. 5. nove collectionis Regie*, is enim dicit quæstionem habuisse de facto, quæ sibi consultum est, quod quidam testator testamento suo, in quo instituerat hæredem extraneum, justit hæredi, ut Titio cui legaverat vinti mille morapepinos in nummis per unam ex clausulis sui testamenti; per aliam ejusdem testamenti clausulam, nummos illos solveret ex patrimonio suo: dubitatum fuit, num in pecunia numerata essent solvendi, vel satisfaceret hæres si traderet ex patrimonio bona pro satisfaciendæ legati taxata, & in solutum data: Et tandem concludit Azevedus, quod sufficit bona æstimata dare, idque verum est, non tamen ex his fundamentis, quæ ipse attulit, sed eo principaliter, quod testator mutavit sententiam, & voluntatem suam, & legatum in nummis solvendum per unam clausulam, solvi ex patrimonio suo iussit in alia clausula: quo casu, mutata sic expressim voluntate certum est, patrimonium, aut bona defuncti in solutione esse, quantitatem autem morapepinorum in legato, ut Ruinus, Angelus, & Rolandus concludunt, quos Præcis adduxit: & sic hæredem dumtaxat teneri ex patrimonio tot bona æstimata in solutum dare. Addiderim etiam libenter, atque eodem casum Azevedii retento, nec legatarium compellendum mutata sic voluntate in secunda clausula legatum in pecunia recipere, sed ex bonis, aut ex patrimonio defuncti petere posse, quod solvatur legatum, & ad id hæredem adstringere juxta voluntatem testatoris expressam, ex dictis *supra*, atque ex eisdem Authoribus, quos Azevedus non citat.

46 Quarto & ultimo constituendum est, quod ubicunque pars bonorum legatur, licet hæc sit in obligatione, hæredi tamen succurritur, ut ipse eligat, sive rerum partes, sive æstimationem dare maluerit, sic ut utrumque dicatur esse in solutione, licet unum tantum in obligatione sit; in his tamen rebus partem dare concedunt hæredi, quæ sine damno dividi possunt, per text. in *l. non amplius, 26. §. cum bonorum, ff. de legat. 1.* Quod si res naturaliter indivisæ sint, vel sine damno divisio earum fieri non possit, æstimatio ab hærede omninò præstanda est, ex text. in *d. §. cum bonorum, in secunda parte*; qui tamen in utroque corrigitur hodie ex decisione *l. 20. Tauri*, quæ est *l. 4. tit. 6. lib. 5. nove collectionis Regie*, prout advertit Tellus Fernandez in *eadem l. Tauri, num. 1. §. 2.* Nec amplius in hoc insisto, propterea quod de prædictis, & in quo fiat hodie innovatio per dictas leges Regias, ad text. in *dict. §. cum bonorum*, & distinctè Tellus Fernandez, & Avendannus in *dict. l. 20. Tauri*, Petrus de Peralta in *l. si quis servum §. si cui, num. 3. ff. de legat. 2. fol. mibi 124.* Rodericus Suarez in *l. quoniam in prioribus, quest. 2. C. de inofficioso testam.* Matieuzus in *dict. l. 4. tit. 6. glossa prima, num. 2. §. glossa 3. num. 1. §. 2. §. num. 9. §. Azevedus ibi, num. 2.* & Angulus *glossa 5. fol. 22. lib. 5. nove collectionis Regie*, Antonius Gomezus Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.

tom. 1. variarum, cap. 12. de legat. num. 21. ubi in versiculo, sed pulchrum & subtile dubium, movet quæstionem, utrum scilicet. Quot à bonorum hæredi extraneo prælegata, solvi debeat in pecunia, an in ipsis rebus hæreditariis, & Gomezii resolutionem sequitur Matieuzus in *d. l. 4. glossa 1. mon. 2. D. Spino in speculo, glossa 17. num. 60.* sed improbat Tellus Fernandez in *d. l. 20. Tauri, num. 6.* ut ibidem, cum necesse fuerit, videri poterit: Et de his hæctenus egisse sufficiat.

CAPUT XXV.

De Contractu simulato & usuris palliatis.

Contractus simulatus pignoratitius, vel usurarius, per quæ, & quibus modis probetur? an ex modicitate pretii, ex pacto de retrovendendo, & ex eo quod emptor, vel venditor solitus sit fœnerari, vel ex pacto de retrovendendo, & modicitate pretii dumtaxat, etiam si consuetudo fœnerandi, aut alia conjectura non sit: ubi, quæ hæctenus in mille locis scripta erant ab aliis, plena & diligenti manu recensentur in unum, illis adduntur quamplurima, & text. in *c. ad nostram, de empt. & vendit.* (qui est fundamentum totius hujus materiæ) & in *c. illo vos, de pignoribus*, singulari & verè enunciantur, multaque in proposito noviter, & distinctè adnotata traduntur, quæ, ut videbis Lector importuno & assiduo labore digeruntur, nec ullus enteà sic dilucide, nec absolute explicaverat.

SUMMARIUM.

- 1 Contractus in dubio non presumitur simulatus, vel usurarius in foro contentioso, cum semper interpretatio fieri debeat in bonam partem; idcirco, quoties negotii de quo agitur, qualitate prudenter considerata, de contractu dubitatur, sine usurarius, vel licitus; justus potius quam fœneratitius est presumendus.
- 2 Contractum esse simulatum, vel fœneratitium qui dixerit, probare debet, & causam simulationis aut usura ostendere, & declarare.
- 3 Contractus in judicio animæ, potius est presumendus usurarius, quam justus, etiam in dubio, & contra eum fieri debet interpretatio, cum ea pars benignior sit, & tutior pro anima.
- 4 Modò extet aliqua presumpcio & conjectura fraudis & usura.
- 5 Pactum de retrovendendo est in se licitum de jure Civili, Canonico, Divino, & in foro conscientie seu anime judicio, & antequam res redimatur, emptor licitè fructus lucratur.
- 6 Et de jure hujus Regni non improbat, prout hoc numero declaratur.
- 7 Nisi concurrant cum eo alie conjectura, ex quibus contractus simulatus, & in fraudem usurarium factus presumi possit, quia tunc mutat ejus primæviam naturam & presumptionem fœneris inducit.
- 8 Nec interest, quod pactum collatum sit in voluntatem venditoris, vel emptoris, ubi nulle conjecturae sunt fraudis, doli, vel usurarum.
- 9 Pactum de retrovendendo adeò licitum esse in se, ut valeat, etiam si ita conceptum sit, ut non nisi post certum tempus liceat redimere, & si restricta, & limitata potestate recuperandi: & etiam in contractu pignoris, dummodo restrictio facultatis luendi non excedat triginta annos.